Albert Hübl: Catalogus codicum manu scriptorum qui in Bibliotheca Monasterii B.M.V. ad Scotos Vindobonae servantur.
Wien-Leipzig, 1899 Seite VI
Quelle:
Copyright:

monasterium Germanisque monachis cedentes tabulas gravioris momenti secum abstulerint;[1]) a quibus etiam libros quosdam, qui pluris aestimarentur, ablatos esse haud ineptum videtur colligere. Ceterum ignorantia et neglegentia multa periisse nullo negotio intellegitur; saepenumero enim in ligaturis fragmenta codicum dissectorum eorumque imprimis liturgicorum inveniuntur. His rebus factum est, ut antiquiorum potissimum librorum numerus ipsius monasterii vetustati minime respondeat.

Codicum pars longe maior ad saeculum XV spectant vel illis temporibus comparati sunt. Fuerunt Abbates quidam, qui et ipsi litteras maxime colerent et suis monachis essent studiorum auctores. E quorum numero, ut paucos commemorem, Ioannes de Ochsenhausen (1428—1446) codices undecim,[2]) quod probari potest, comparavit, codicem numero 304 insignitum propria manu exaravit; Martini de Lewbicz (1446—1461?) nomen quatuor libri exhibent, quos adquisierit,[3]) e quibus unum[4]) magnam partem sua manu scripsit; codicis 251 pars Ioannis Lambacensis Abbatis (1466—1467) operae debetur. Quantum vel ex ipsis indiciis vel ex litterarum forma vel ex argumento dispici potest, a sodalibus monasterii exarati sunt libri viginti quattuor,[5]) cum de reliquorum librariis nihil inveniri possit.

Aucta est librorum copia consuetudine ac familiaritate, quae fuit illis temporibus inter monasterium et universitatem

---

[1]) Hauswirth 28.

[2]) Codd. 21, 22, 30, 63, 151, 266, 285, 288, 295, 317, 377.

[3]) Codd. 68, 230, 329, 354.

[4]) Cod. 68.

[5]) Codd. 25, 40, 68, 70, 98, 106, 132, 151—153, 174, 192, 250, 251, 258, 275, 304, 328, 358, 391, 395, 397, 402, 405. E librariorum numero memoratu digni prae ceteris videntur: Joannes Nagler de Päsdorf, Wolfgangus de Enzersdorf, Wolfgangus de Everding, Joannes Ratisbonensis.